

*Mercurius  
dieb. 116. h. e.  
mensib. 3. die-  
bus 26. ferè.*

*Commutatio  
Veneris &  
Mercurij.*

*Orbis Terra,  
quare M A-  
G N V S, di-  
antur Copex-  
nico.*

poris spatio omnes apparentias, quas Deus ex terris conspici vo-  
luit, nobis ostendere repetunt. Lineæ propriarum diuersitatum  
motus regulariter incedunt, super centro orbis magni suas reuolu-  
tiones in tempore sibi à Deo præfinito conficientes. Lineæ autem  
verorum locorum, quæ ex centro terræ per Venerem, & Mercuri-  
um traiectæ, longè aliter circumducuntur, tum quia à puncto ex-  
tra illorum orbis educuntur, tum quia illud ipsum punctum est  
mobile. Nos putamus Venerem, & Mercurium in suis orbibus  
eo motu procedere, quo Veteres in epicyclo eos moueri statue-  
runt, cum tamen ille motus superatio tantum sit, qua velocior pla-  
neta, terræ seu Solis motum medium excedit. Hanc superationem  
vocat D. Præceptor commutationis motum, iisdem planè de cau-  
sis, quibus in tribus superioribus. Fit itaque ut omnes Veneris, &  
Mercurij apparentiæ, quæ etiam ex terra fixa apparuissent, pro-  
pter terræ motum tardius reuertantur: ut quæ eadem in omnibus  
suorum deferentium partibus, & eclipticæ locis contingant, quo  
omnimodiorum motus deprehenduntur. Nequaquam enim,  
terrâ sub Cancro fixâ, Ptolemæus deprehendisset Mercurium bre-  
uissimas à Sole circa Libram euagationes, & Venerem circa Tau-  
rum habere. Vbicunq; autem terra suo in orbe magno fuerit, &  
Venus, aut Mercurius in lateribus sui deferentis deprehensus, ma-  
ximè à Sole nobis distare videbitur. Eductis verò ex centro terræ  
lineis, contingentibus vtrinque Veneris & Mercurij deferentes, in  
superiori portione ad terram relatione facta, in signorum conse-  
quentiam ferentur: in inferiori, & terræ proxima contrâ, vbi &  
stare, retrocedereq; ad sensum videntur: cum nempe linea veri loci  
planetæ æqualem angulum diurnum, super terræ centro efficit in  
antecedentia, angulo medijs motus, qui & terræ in consequentia, vel  
maiores, &c. Ex his itaque manifestum est, quare Venus, & Mer-  
curius circa Solem inuolui conspiciantur.

Cæterum Sole quoq; clarius est, orbem terram deferentem  
verè M A G N V M appellari. Si enim Imperatores propter res fe-  
liciter bello gestas, aut gentes deuictas, Magnorum accepere co-  
gnomen: dignus certè & hic orbis erat, cui augustissimum attri-  
bueretur nomen, cum ipse quasi solus, legum cœlestis politiæ par-  
ticipes nos faciat: omnesq; errores motuum emendet, cumq; in gra-  
dum